



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ordinis || Praemon-||stratensis || Chronicon

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1613

Item Cap. XV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64313)

dendi corpus; at non animam semper vituram. Iratus ea responsionis libertate Lūnius, sene abire iusso, quod neque sacerdos esset, neque monachus, monachos duos in carcerem abduci præcepit. Ducti ergo in carcerem cum Catholicæ fidei Confessaribus communem, ad communem quoque certaminis & gloriæ dignitatem vocari se senserunt.

ITEM CAP. XV.

PRODUCTI sunt etiam duo Præmōstratenses, qui de Sacramento corporis & sanguinis interrogati, quod in Ecclesiæ Catholica fuerant edocti, responderunt, Hæreticos contra contendētes, id quod in Cæna dominica sumitur, non aliud esse, quàm panem nudum ac vulgarem, breuiter & solidè redarguerunt ex verbis Paulinis. *Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Tum post aliquantam altercationem (in qua potissimum *Iacobus*, utpote sermone promptior Catholicas partes sustinebat) aduersarij, cum se ratione superatos viderent, maledictis victores suos impetere cœperunt; quanquam & blandimenta verborum, adhibuisse Lumnium accepimus, præcipuè, ut *Iacobum* ab instituto

reuo

reuocaret, quod ea esset & ætas illius, & sermonis & vultus gratia, quæ tyrannicū quoque animum occulta naturæ vi, ad commiserationem moueret. Verū neq; promissis neque terroribus cessit Martyrum Christi fortitudo.

Ad hunc igitur modum sancti viri confessionis atque martyrij sui munere strenuè perfuncti anno 1572. nocte inter octauum & nonum Iulij diem, mediâ, momentaneam hanc vitam gloriosa morte commutantes in Domino, laqueo suspensi, obdormierunt.

Haud abs re fuerit his subnectere breuem nostram dissertatiunculam *de Antuerpiensis Ecclesiæ origine ac progressu*, quod in ea meritò & locum suum ac laudem habeat S. Norbertus.

ANNO
1172.

